DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

De

COLICO DOLORE

Quam

DUCE AC AUSPICE DEO,

Decreto, Jussu & Authoritate

Nobilissimi atq; Amplissimi, in florentissima ad Salam Academia, Senatus Medici,

PRÆSIDE

Viro Nobilissimo, Amplissimo, Excellentissimo atq; Experientissimo

DN. CHRISTOPHORO SCHELHAMMERO HAMBURGENSI, Med. Doctore, Anatomiæ, Chirurgiæ atq; Botanices Profess. Publico celeberrimo, Facultatis hodie Decano Spectatissimo, Dn. Præceptore, Patrono atq; Promotore suo ætatem venerando, colendo,

PRO LICENTIA

Summos in arte Medica Honores, privilegia & insignia Doctoralia consequendi,

Publico examini submittit

STATIUS HEINRICUS CRAUELIUS, OSTERODENSIS.

D. 2. Maji Horis Locoq; consvetis.

JENÆ

Excudebat CASPARUS FREYSCHMID.

ANNO M. DC. LI.

1651

SERENISSIMO NEC NON CELSISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

DN. VVILHELMO

DUCI SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ AC MONTIUM, LANDGRAVIO THURINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ, COMITI DE MARCA ET RAVENSBURG, DYNASTÆ IN RAVENSTEIN DOMINO MEO CLEMENTISSIMO

Hanc Dissertationem Inauguralem

Debitæ subjectionis ergò submissè & humillimè

offero

Statius Heinricus Crauelius
Autor & Respondens

INter affectus infimi Ventris, qui animum variè percellunt & corpus humanum atrocissimis sæpe numero affligunt cruciatibus, si frequentiam & vehementiam respicies, non postremum sibi vendicat locum Passio COLICA. Δεινόν τι πάθος καὶ ὀδυνηρὸν ἡ κωλικὴ διάθεσις. *Gravis morbus & dolorificus colica dispositio, exlamat* Alexander Trallianus in frontispicio libri decimi. *Hæc quamvis hominem non statim interimat; tam ingens tamen, tam acerba sæpius est, ut quos exagitat, mori potius malint, quam diutius cum illa conflictari, sævissimosq; ac intolerabiles istiusmodi cruciatus atq; dolores diutius sustinere. Quin imò tam immanem sæpius illam evasisse legimus, ut de quovis remedio quasi triũphans laborantes ad sibi violentas manus inferendum coëgerit. Tam atrocissimus igitur, generiq; humano infestissimus affectus quum sit, salutis mortalium haud parum interesse arbitramur, ejus Naturam secundum fontes à* Galen. 1. de rat. vict. acut. t. 7. διάγνωσιν, πρόγνωσιν, καὶ θεραπείαν *nobis propositos penitius investigare & ad judicii lancem expendere. Quæ causa fuit quod, cum à Magnifico, Amplissimo atq; Gratiosissimo Facultatis Medicæ Senatu, disputandi partes demandatæ nobis sint, in his intestinorum doloribus potius, quam in alio quovis morbo debiles & infirmas nostras vires experiri, eorum delineationem, paucis hisce pagellis hac vice tentare, eamq; φιλιάτροις, loco Exercitii Inaugura-*

auguralis proponere placuerit. Tu vero æternæ mentis Numen, ſine cujus gratia omnis in ſtudiis peregrinatio miſerabilis quædam eſt erratio, tenebras noſtræ mentis gratiæ tuæ irradia luce, ut certa & plana ad veritatem pateat via.

NOMEN autem Colicæ deducitur à loco affecto, ab inteſtino nimirum Colo, inter craſſa ſecundo, quod atrociſſimam hanc pasſionem experitur. *Colon* autem vocabulum Græcum eſt ἀπὸ τοῦ κολάζεσθαι à torquendo, caſtigando, quod maximè doloribus ſit obnoxium. Alii rectiùs voculam hanc derivari exiſtimant ἀπὸ τοῦ κωλύειν à prohibendo, retardando, quòd ob varias cellulas feces in eo diutius remorentur & retardentur.

Hujus ratione à *Græcis* κωλικὴ διάθεσις, κωλικὴ ὀδύνη ſeu πόνος, κωλικὸν ἄλγημα; à *Latinis* vero Colicus affectus & Paſſio Colica, à *Celſo lib. 1. cap. 7.* laxioris inteſtini dolor, & *lib. 4. cap. 14.* inteſtini plenioris morbus indigitatur. *Germani* die Kolicke oder das Leibwehe vnd Bauchgrimmen generali vocabulo nuncupant.

Dolorem hunc primum omnium expertum fuiſſe Tiberium Imperatorem ſcribit *Plinius lib. 26. cap. 1.* cui ſententiæ ſuffragatur *Scribonius Largus*, qui multas antidotos, contra dictam Imperatoris Colicam excogitatas proponit. Accedit quod nec ab Hippocrate nec ab aliis Priſcorum Medicinæ ſcriptoribus doloris Colici ante Tiberii tempora unquam facta fuerit mentio. Verum veritati magis conſentaneum videtur, affectum *Colicum* & fuiſſe & ſub Jlei potiùs, quam Colici nomine antiquitus innotuiſſe. Cum Jliaci doloris nomen ſit adeò generale, ut etiam dolores alios ſive ſint in inteſtinis ſive non, complectatur: & quemadmodum in vero Volvulo retinentur excrementa, quæ per alvum inferiorem excerni debebant, ita ubi cacochymia vitioſa in corpore aggregatur, quæ nullo pacto per corporis, ad excretionem ſuperfluitatum, deſtinatos meatus expurgatur, ſed retinetur, mor-

bos

bos inde genitos author libri περὶ παθῶν appellat volvulos; Et cum Cacochymia succorum sit triplex, Pituitosa, biliosa, melancholica, ideò etiam triplicem volvulum designavit, hos invicem tempore generationis & colore distingvens.

Galenus etiam *3. Epidem. comm. 2. ægrot.* 9. in explicatione historiæ mulieris volvulosæ insinuare videtur dari Ileum in crassis intestinis, dum docet ; Cum periculosus sit omnis volvulus, esse tamen periculosiorem, qui in sublimibus intestinis consistat, minus periculosum qui in crassis. Nec minus memorabile est effatum *Alexandri Tralliani lib. 10.* οὐδὲ γὰρ ἄλλο τί ἐστιν ὁ εἰλεὸς ἢ ἐπίτασις τῆς κωλικῆς διαθέσεως. Neq; enim aliud est Ileus, quam Colici adfectus intentio ac incrementum. Constat idem ex *Cels. lib. 4. cap.* 13. quum ait. Diocles, Carystius tenuioris intestini morbum χορδάψον plenioris εἰλεὸν nominavit. A plerisq; video nunc priorem illum εἰλεὸν, hunc κωλικὸν nominari.

Ex quibus omnibus liquet Ilei vocem esse generalem & non solum alios dolores, sed etiam Colicum suo ambitu complecti, & sine dubio antiquorum tempore eidem tributum fuisse.

DEFINITUR tristis sensatio intestini Coli, dependens â solutione continui.

GENUS doloris formalem includens rationem, est tristis sensatio. ὁ γὰρ τοι πόνος αἴσθησις, inquit *Galenus 2. loc. aff. 2.* ἐστιν ἀνιαρά, καθάπερ ἡ ἡδυνὴ προσηνὴς αἴσθησις. Dolor tristis est sensus, sicut voluptas blādus sensus est *Idem 2. Caus. Sympt c.* 2. οὐδὲν γὰρ διοίσει ait, λέγειν ἢ λυπηρὰν ἢ ἀλγεινὴν, ἢ ὀδυνηρὰν ἢ ἐπίπονον αἴσθησιν, ὥσπερ οὐδὲ αὐτὸ τὸ πάθος ἀνίαν, ἢ λύπην, ἢ ὀδύνην ἢ πόνον, ἢ ἀλγηδόνα. Nihil refert an molestum, an tristem an dolorificum an dolorosum sensum; sicut nec an passionem ipsam molestiam, an laborem an dolorem voces. Quibus nominibus etiam Plato promiscuè usus est.

Dum vero dolorem sensum tristem vocat Galenus, haud committit ἀκυρολογίαν, nec ceu absurdum inferri potest, sic sensum,

sum, esse sensus, facilè enim expediri potest, sensationem tristē fieri alteratione & alterationis dignotione. Dolor non est simplex tristis sensatio, sed sensatio tristis percepta â facultate superiori respicitq; sensū TACTUS, cujus ἐξαιρετὸν symptoma, *teste Galeno 1. Caus. Sympt. cap. 6.* est dolor, & optimo jure ad symptomata actionis læsæ & quidem depravatæ referri potest.

LOCUM seu PARTEM AFFECTAM constituimus Colon, intestinorum crassorum medium, partem ut membranaceam, & ob nervos quos â sexto pari cerebri recipit, maximè sensilem: accedit ejusdem crassities & densitas variorumq; anfractuum & cellularum copia, ob quam causa dolorifica moram trahens fortiùs agere & dolorem fixum excitare potest, *docente Galeno 6. de loc. aff. cap. 2.* Non vero materia ista vitiosa in intestini cavitate solum, sed interdum in membranis etiam, carnosa interiore unâ, nervosa exteriore alterâ flatuosus *judicio Galeni 12. meth. med. cap. 8.* continetur spiritus: imò nonnunquam in ipsis vasis, quæ intestinum obtinet, sedem suam occupat.

Sæpisſimè materiam hanc hærere circa regionem intestini cæci in coli principio, non longè â valvula illa decantatisſima, ii qui gravisſimis hisce cruciatibus tentati, testes sunt. In angiportu enim illo flatuosi Spiritus conclusi tensionem illam dolorificam commodè excitare valent, his reseratis claustris in momento etiam molesta illa sensatio expirare sæpisſime cum admiratione deprehenditur.

Qui itaq; Ventris dolores colico consimiles ex flatulento spiritu vel acribus humoribus peritonæo vel membranis conclusis post diuturnas febres aliosq; morbos difficulter solubiles contingunt & ab *Hippocr. 6. aphorism. 7.* ἀλγήματα τὰ κατὰ τὴν κοιλίαν dolores ventris sublimes adpellantur, Colicam non faciunt.

Intestinum Colon laborare nonnunquam per συμπάθειαν & consensum aliarum vicinarum partium, Ventriculi, Jecoris, Uteri, Vesicæ &c. quando nimirum illa p. n. inflammantur aut alio morbo intumescunt & illud premunt, placuisse

isse *Avicenna* & *Tralliano* legimus. Quam tamen sententiam rejiciunt alii, & probant nec uterum neq; vesicam, neq; aliam partem, quantumcunq; repleatur, extendatur atq; in maximum tumorem attollatur dolores intestinorum & quidem compressione efficere posse. Imò ipse *Trallianus* τὰς κατὰ συμπάθειαν συμβαινούσας ἐπιχύσεις τῆς γαστρὸς καὶ τῶν ἐντέρων κωλικὰς διαθέσεις appellandas esse haud censet. Si vero sint qui velint, hasce partes posse interdum intestinis aliquod malum communicare, idq; eâ potissimum ratione, quod illis ac maximè ventriculo & jecore à suo munere deficientibus, generentur excrementa, quæ deinceps ducta ad intestina dolores efficiant aut foveant, forte apposite loquuntur.

Intestinum Colon adficitur non tantum secundum Spiritum & balsamicam substantiam, cui Paracelsici omnes actiones consecrant, sed etiam facultatem, quæ mediante spiritu animali percipit Objectum dolorificum, deque ejus improportione in regia mentis sede fert judicium.

CAUSA continens seu Συνεκτικὴ Colicæ est λύσις τῆς συνεχείας solutio continui appellata à *Galeno 2. loc. affect. cap. 5.* & ab eodem aliquot in locis pro communissima doloris causa agnita, qua mediante omnes intemperies seu alterationes qualitatum doloris notam imprimunt partibus sensu tactus præditis, licet *2. loc. aff. cap. 5. & 12. meth. med. cap. 7.* primas doloris species duas esse asseveret, cum affatim temperies alteratur & cum solvitur continuitas. Quomodo autem solutio continui immediata doloris causa sit declarari potest ex ejusdem *1. Sympt. causs. cap. 6. ubi docet* : Omnibus sensibus commune esse, quod infestans passio ex secretione & divisione continui unitiq; corporis tum excitetur, cum ea κατὰ τὸ μεγάλα ἅμα καὶ ταχέως universa seu magnis portionibus & celeriter, quod græcè ἀθρόως vocat, incidit. Innuere volens in voce τοῦ ἀθρόως & ταχύτητα & τὸ μέγεθος includi.

Solutio continui hæc non debet esse lenta sed violenta, confertim & cum impetu conjuncta; talemq; ipsum *Plato-*

paucis à partu diebus stupendum in modum intumuisse, reliquum vero corpusculum ita emaciatum fuisse, ut vix cutis ossibus hæserit, cum sævissimis continuisq; torsionibus & cruciatibus.

HUMORES CRASSOS & viscidos, PITUITAM vitream præsertim sævissimos Colicos dolores parere testatur *Galenus 2. de loc. affect. cap.* 5. ubi memorat, sibi ipsi accidisse dolorem vehementissimum, ut sibi videretur in infimo ventre perforari terebro, in eo potissimum spatio, per quod à renibus ad vesicam ureteres scimus extendi. Injecto deinde rutaceo oleo excrevit simul cum gravissimo dolore humorem vitreum, à Praxagora ὑαλώδη apellatum. Quippe vitro fuso tum colore tum substantia haud erat absimilis, atq; id aliis etiam accidere conspexi. Quod autem hic humor sit frigidissimus, jam à Praxagora dictum; Idem etiam non obscurè sensu tactus percipitur tum illorum qui illum excernunt, tum aliorum qui ipsum tangere voluerunt. Sed dignum utiq; admiratione est, quomodo frigidus excidat, ut neq; ab excretionis violentiâ quum excidit, calidus evadat. Equidem putabam lapidem in altero ureterum impactum, adeo erat, ut mihi videbatur, doloris ipsius species perforanti similis. At qui vacuato humore, doloreq; sedato manifeste constabam neq; lapidem fuisse causam, neq; ureteres aut renes fuisse adfectos sed aliquod intestinorum, & forte magis crassorum. *Hæc Galenus.*

Crassi enim propter absentem expultricis stimulum & Clysterem naturalem, bilem, in ociosis cum ad quantitatem notatu dignam pervenerint, flatus (qui ferè in dolore ex hac causa orto, præsentes sunt) ex diminuto partis calore suscitant. *Senn. lib. 3. part. 2. sect. 2. c.* 1. Interdum etiam aciditate sua intestinorum membranas vellicant.

Eosdem dolores oriri ab humore BILIOSO, calido, acri, affirmat *Galenus 12. meth. med. cap.* 7. elegantiq; historia illustrat, ægroti, quem cum à calidis externis admotis, tum per sedem injectis, cum etiam per os assumtis non juvaretur, mordentes succos in tunicis intestinorum immersos, qui scilicet

secum

fecum una corrumperent, tum ea, quæ per inferioria essent infusa, tam ea quæ per os sumebat, conjecit, eumq; hierâ picrâ exhibitá curavit.

Τοιȣ̃τοις χυμοῖς (loquitur de frigidis) ἐναντιωτάτην μὲν ἔχουσι φύσιν οἱ λεπτοὶ καὶ δριμοῖς ὁμοίαν δὲ τὴν ὀδύνην. Hisce frigidis humoribus contrariam quidem habent naturam tenues & acres, sed simimilem dolorem inferunt.

Calidæ Colicæ historiam invenire licet in *Amato Lusitano* 1. *centur*. 2. Hujus generis est colica in Paralysin desinens orta ex vinis halituosis, Ungaricis, Moravicis. Referri à nonnullis solet huc Colica ex contactu vesicæ felleæ, ob quam colum totum sæpe flavescit.

Et certe â biliosis, acribus & SCORBUTICIS humoribus oriri Colicam ex eo satis patet, quod si alio convertantur, Icterus, febres, convulsiones, paralyses & graviora symptomata ex iisdem oriri soleant. Observavitq; illud *Forestus observ*. 12. *lib*. 21. *de intestinor. affect*. Humores enim tales cum â natura, ut inutiles protruduntur ad intestina, venas & membranas eorum p. n. distendunt, atq; ita non solum doloris sed & alvi suppresionis causa sunt. Fibræ enim si hoc modo distendantur, p. n. officium suum facere & feces protrudere non possunt.

Hoc malum quandoq; solet esse Epidemium & contagiosum, uti *Paulus lib*. 3. *cap*. 43. testatur. Refert enim à calidis & mordacibus succis ortam suo tempore colicam, quæ ab Italiæ quidem regionibus initium cœpit, sed in aliis multis Romanæ reipublicæ locis grassata est, pestilenti quadam distributione, in qua plerisq; ad morbum comitialem, aliis ad artuum resolutionem, servato sensu, quibusdam ad ambo delapsus contigit. Talis colica anno 1621. ineunte vere in Silesia in Ducatu Tuschinensi grassata est.

SANGVINEM aut solum aut cum aliis humoribus permixtum & vel ob copiam vel ob tenuitatem effusum, vel etiam ob dolorem gravem qui fortasse præcesfit, attractum, aut alia demum intestinorum læsione eo concitatum, inflammationem, quæ & ipsa distendendo, fecibus alvi ac flatibus vi-

am præcludendo dolorem inferat, causare docet *Sennertus lib. 3. part. 2. sect. 2. cap. 2.* & *Observatio Foresti* 11. *lib.* 21.

Ad Humoralem colicum referri potest STERCORALIS, quæ oritur, dum ipsa κύβαλα excrementa vel copia vias coli anfractuosas subito replent & occludunt, vel ob siccitatem, duritiem & tenacitatem ibi subsistunt, reliquisve, qui indies acervantur, flatibus & excrementis transitum denegant. Fieri etiam potest, ut oblitis intestinis pituitâ multâ, exsiccentur excrementa, diutina morâ, præcipuè bile non debita copiâ in jejuni principium suppeditata. *Senertus loco sæpius citato ex Platero* refert, Præfectum quendam colicis cruciatibus diu vexatum, convulsionibusq; laborantem post Clysmatum usu casei concreti induratiq; magnam per alvum copiam ejecisse, quam diu in intestinorum anfractibus hæsisse & latuisse ex eo collegit, quod nullum longo tempore ob interdictum â Medicis illius usum, caseum comederat, prius vero antequam ægrotaret, immoderatè se eo repleverat.

VERMES pungendo & divellendo dolorem inducere testis est *Gvilielmus Fabricius cent.* 1. *Observ.* 75. qui puellam quandam 12 annorum restituit, quæ in passione colica globulum vermium pugni magnitudine ultra 70 lùbricorum adeò intricatorum & conglomeratornm, ut vix separari potuerit, excrevit. Qua de re videri etiam potest *Schenkius lib.* 3. *de de Colica & Lumbricis*.

CALCULOS inciendis colicis doloribus plurimum valere, recentiores Medici observarunt sæpissime; uti evenisse legimus Domicellæ Vanderanæ, stercore rotundo in lapidem concreto *Forest. lib.* 21. *Observ.* 4. *in Schol.* Ubi ab eodem recensetur Historia *Gradi*, quod uxor Dom. Antonii de Canibus Papiæ, in colico affectu, exhibitis Clysteribus & remediis aliis tres lapides magnos, durissimos egesserit; quorum quilibet fuerit quantitatis unius ovi gallinacei, citrei coloris velut feces induratæ. Et *Marcellus Donatus lib.* 4. *cap.* 30. pluribus historiis confirmat in colo lapides generatos, qui partim cum dolore partim sine dolore fuerint excreti. Et refert *Gregor. Horst. Epist. medicinal sect.* 9. de *generat. calculi* hominem

minem quendam tenuioris fortunæ, postquam in imo ventre gravissimos dolores atq; cruciatus perpessus, multaq; ob id Medicorum consilia, quamvis frustra adhibuisset, lapidem magnitudine ovi gallinacei, glabrum & levigatum, colore fusco per anum vi magna rejecisse; qui lapis quam plurimis constiterit pelliculis, arctissime sese invicem complectentibus, ut Lapidem Bezoardicum retulisse visus sit. Quæ autem horum materia & causa efficiens, disquirere non patitur instituti nostri ratio.

Ob HERNIAM INTESTINALEM Virum quendam passum esse Colicam, videre est apud sæpius cit. *Forest. Observ.* 14. *l. c.* Sunt qui eandem ob inflexionem & prolapsum Coli accidisse affirmant. Quæ tamen procidentia creditu vix facilis.

Demum & intestina COALESCERE nonnunquam notavit *Sennert. lib. 3. part. 2. sect. 1. cap. 3. ex Marcelli Donati lib. 4. cap. 10. Histor. Medico mirab.* & *Jacobus Hollerius lib. 1. de morb. intern. cap.* 41. observatum â se scribit, in D. Zoito Medico & Advocato Gilot, colum qua parte vicinum est reni sinistro, collecta veluti cartilagine dura in scirrhum obduruisse, interiore cavitate eo tumore interceptâ, ut nihil transcurreret.

CHIMICI ut omnium dolorum ortum in universum Spiritibus salium resolutis vel coagulatis, in quibus saporum dona ac proprietates habitant, adscribunt, ita etiam eosdem in colicâ accusant.

PARACELSUS docet Colicã provenire ex sale in intestinis prædominante, & varia genera colicæ producere: unum genus, quando Sal resolvitur, alterum, quando nimium induratur. Hoc pluribus explicat *tractatu de colica tom. 1. p.* 560. ostendens Flatus per microcosmum divagantes, dum salinum principium suâ naturâ acre, acutum mordax, resolvant, illud sensu satis exquisito prædita intestina adoritur. Ut in ulceribus salia mordacia, ita in intestinis dolores eadem excitant. Nisi flatus salia resolverent, sine dolore per inferiorem gutturem excernerentur. Salibus autem resolutis dolores non cessant, donec eadem mitigantur & cum flatibus in gratiam

redeant. Flatus iidem in microcoſmo quacunq; cauſa generati, in ſe adeò ſunt ſubtiles, ut totum corpus omnesq; ejus poros pervadant. Si jam ſalia reſoluta ſe iis jungant, tum ſpiritus ſalini ſe flatibus permiſcent & nonnunquam ad articulos penetrant, & ſic colica tranſit in arthritidem. Et quia his flatibus ſpirituoſis ſalinis articuli reſiſtere non valent, ideo eneruantur inſtarque ruinoſæ domus corruunt, contractæ vel paralyticæ.

PETRUS SEVERINUS DANUS *ideæ Medicinæ philoſophicæ cap.* 12. quæ multo obſcuriori ſermone, hanc doctrinam explicaturus, adfert, in pauca contrahi poſſunt. Docet colicæ generationem ex mucilagine tartarea, ſtipticis & acetoſis ſpiritibus permiſtâ produci. Hæc mucilaginoſa impuritas ſenſim radices firmat, & continua nutricatione incrementa ſumit, ſeminaq; promit, donec digeſtionis temporibus abſolutis paroxyſmos oſtendit. Digeſtionum & ſilentii temporibus, ſemina quidem hæc fermentantur foventur, & aſſidua generationis conſilia ineunt, nullis tamen manifeſtis indiciis deprehenduntur, quia tincturæ pernitioſæ & ſymptomatum patres nondum liberæ & ſinceræ, ſed aliorum miſtione temperatæ ferociam remittunt: deinde quia non ſatis exaltatæ, neq; ad ſubtilitatem poteſtatis authorum reductæ. Cum vero digeſtionum tempora præterlapſa, è ſomno erumpunt, ex centro radicibus & mineris ſuis, circumferentias, id eſt ſpirituoſos vapores ceu circulos ad certam diſtantiam proferunt, ſecundum poteſtatem radicum. Et primum quidem feruntur ſpiritus illi acuti per *inteſtinorum* orbes : deinde ſi regiones *renum* & veſicæ mucilaginibus tartareis ſunt obductæ, eaſdem etiam ad paroxyſmum incitant, unde tanta colici & nephritici dolorum ex iiſdem impuritatibus prodeūtium adfinitas: Interdum ad *ventriculi* regionem pertingunt, & nauſeam vomitumq; movent: Quin & â ſoevioribus Colicis, ubi tincturarum poteſtas major, infectis ſpiritibus *vitalibus* cordis & arteriarum motiones debilitantur, unde palpitationes deliquia: Demum etiam Spiritus *motuum* animalium authores, tincturis motui reſiſtentibus imbuunt. Durabuntq;

buntq; hæc colicæ Symptomata, donec exhausti sint fructus, quos hâc revolutione ad generationem destinarunt radices, recidivisq; generationibus, præfinitis temporibus debitum naturæ absolvunt.

QUERCETANUS *in consilio de arthritide* facilius intelligi, ait, dolores quosdam colicos ex acetosissimis acerbissimis & acutissimis salium tincturis per omnia penetrantibus proficisci, quam si ex frigiditate eos oriri dicamus. Inter loca, quæ confluentiam habent cū salibus, ventriculus & intestina rectè referuntur: Continent enim mucilagines, in quibus spiritus salium acutissimi & extremi sæpe latent: tandemq; post longam digestionem separantur, atq; effervescentia pariunt.

JOHAN BAPTISTA ab HELMONT hæc omnia diu jam vulgata & omnibus nota *in suam Medicinam inauditam*, ceu nova, transtulit & paucis repetiit: Massa male in stomacho digesta descendens per intestinum flatus concitat acutos, si acor intensus fuerit, unde tormina. Si vero aliquid ejus mucosum intestino adhæserit tormina pertinaciora, comitante subinde Diarrhæa, fiunt. Et tanto atrociora, quo aciditas magis pontica fuerit. Ex flatu enim pontico, colica exigua & fluxilis: ex cibis vero pertinacior longe & loca mutat migratq;. Sin autem ex muceagine pontica adhærente & affixa; crudelissime affligit & convellit.

Hisce ita enarratis quædam veniunt OBSERVANDA.

(I.) Non quamlibet obstructionem aut flatuum & fecum retentionem, ad Colicæ generationem sufficere, sed requiri insuper singularem quampiam humorum fermentationem & flatuositatem. Requiritur sc. ut flatus sit salinus & acidus; Humores ut sint ♀ro ⊖libusq; imprægnati. Sæpissime enim accidit, ut multis diebus alvus obstruatur, flatus percipiantur, nullâ tamen sequente colicâ; Sicut quotidiana testatur Experientia & ex *Brassavoli cap. 6. tract. de remed. purgat.* narrat citatus *Sennertus*, quod juvenis per spatium 9 imò 12 dierum nihil per alvum excreverit, & tamen sani hominis muniis perfunctus fuerit. Contra vero etsi alvus pateat, & fre-

 quen-

quentius sæpe quam par est excernat, tamen si crudi ejusmodi, biliosi, pituitosi, acres, acidi, corrupti ac flatuosi adsint humores Colica generatur. Neq; semper salia acria mordacia dolores inferunt, aut mucilagines illç efferātur, sed tum demum, cum, digestionum prædestinationumq; tempore peracto, effervescunt. Mordaces illi & biliosi humores diu delitescere possunt, qui etiam, cum fermentari incipiunt, tum demum inquinant, & ut *Galeni* utamur verbis 12. *Meth. med. ca.* 7. corrumpunt tum ea quæ per inferiora infunduntur, tum eá quæ per os sumuntur, quod *in ægroto primo ibidem proposito*, contigisse tradit.

Observandum (II.) Materias istas generari vel ob ipsius Chyli vitium, vel ob læsam Chylificationem debilitatemq; ventriculi, sæpius etiam ob depravatam Hepatis actionem: indeq; vel statîm in ipsis intestinis colligi, vel aliunde â toto corpore aut aliqua ejus parte, Capite &c. ad ista mitti. Talis RHEUMATICÆ colicæ meminit *Galenus* 12. *meth. med. c.* 8. Mittuntur autem aliunde ad infimum ventrem, viscera, membranas, vasa, mesenterium & c si aut ventriculi errata, reliquorum viscerum diligentiâ non compensantur aut corriguntur, aut sangvificatione ipsa læsa Sal fixus, tartareus, partes cibi feculentiores ab utilibus non sequestrantur nec partibus nutriendis assimilantur, sed vel in toto corpore vel in aliqua parte in dies magis magisq; coacervantur, proprium sæpe corruptionis gradum corripientes cumulantur, & vel per se ut naturæ molesta & noxia: vel varios morbos, Epilepsiam, Paralysin, febres &c excitantia, per metaptosin, factâ horum morborum solutione; ibiq; pro varietate cum materiæ tum subjecti varias doloris species creant, causant. Accedit partium harum naturalis dispositio, quippe excrementis recipiendis maximè opportuna: Imbecillitas â crebris doloribus introducta, atq; ex mente *Caroli Pisonis sect.* 4. *de morb. infim. ventr. à seros. colluv. cap.* 2. subitæ & insignes temporum mutationes & quas sequi solent Aquiloniæ austrinæ; quibus materia ex habitu corporis introrsum & confertim detrudi consvevit.

Nec

Nec Colica ab aliis tantummodo oritur morbis, sed sæpius etiam TRANSMUTATUR eadem in alios, imprimis vero in PARALYSIN. Quod ita sese habere sicut nemo it inficias, ita quomodo & per quas vias in artus materia proveniat, minus est apertum. Sunt qui contendunt, naturam post concitatos colicæ paroxysmos, relictâ via consvetâ humores quos antea ad colon trudebat, excrementicios â capite in propiorem locum secundum nervos ad artuum depellere musculos. In qua sententia est *Caspar Hoffmannus in Consil. medic. â Laurentio Scholzio editis, consil.* 173.

CAROLUS PISO *sect. 4. Observ. de morb. infim. ventr. à colluv. serosa cap. 2.* dicit: Dolorem Colicum esse revera convulsorium, materiamq; obsidere nervorum principium, per eorumq; corrugationem non adnatas solùm sed longè etiam dissitas partes convellere; proindeq; existimat, non diu quærendum esse de viis, per quas materia ab intestinis ad principium nervorum deferatur, cùm illud ipsum occupet.

NONNULLI per arterias cœliacas materiam ad caput dehinc in nervos atq; ita consequenter in ipsos artus traduci censent. ALII dicere malunt, naturam per Crisin, humores per intestinorum tunicas, juxta lumborum & spinæ vertebras, sensim in artuum usq; pellere nervos ac musculos, ac inde hujusmodi oboriri contracturam.

SUNT, qui viis manifestis, penitus neglectis, totum corpus συμπνῦν καὶ σύῤῥουν i. e. transpirabile & fluxile esse ajunt: quod placuisse videmus *Laurentio lib. 4. anatom. quæst. 8.*

Reperiuntur, qui materiam morbificam per venas lumbares ad venas spinalem medullam perreptantes deferri censent.

Quibus accedit, quòd alii putant, materiam morbificam mediantibus mesaraicis & intestinorum venis ad venam cavam pervenire, hinc ad corporis & musculorum habitum transmitti, indeq; fieri ut motus impediatur & πάρεσις seu Paralysis impropriè & καταχρηστικῶς sic dicta oriatur. *Sennertus lib. 2. Institut. part. 3. Sect. 2. cap. 5. Gregor. Horstius Centur. problem. Medic. θεραπευτικ. Decad. 2. de morb. capitis Quæst.* 8.

Quod

Quod sane recentiorum placitum cum nihil absurdi in se contineat, & certum sit, motum, â sangvine excrementiciis humoribus mixto, eoq; detruso, facile impediri posse, quo minus idem hac vice amplectâmur, exercitii gratia defendam9, atq; in aliis atq; aliis individuis, nunc talem μετάστασιν fieri statuamus, nihil obstat. Posito tamen hoc, non negamus, interdum etiam, quod *Carolus Piso loc. cit.* innuit, post colicos dolores nervorum principium affici posse.

Non hic præteribimus silentio CAUSAS EXTERNAS ET PROCATARCTICAS, quæ remotiùs materiam p. n. in colo detinere & solutionem continui ac distensionem inducere, Intemperiem cum calidam tum frigidam adferre, primam ac secundam coctionem debilitare & depravare, atque adeò crassos, pituitosos, salsos, biliosos halituososq; humores & spiritus generare & inflammationem excitare utcunq; valent, quas RES illæ NON-NATURALES dictæ suggerunt.

AER (I) qualitatibus suis pro variâ anni mutatione humores in corpore nostro vehementer & varie mutat. Si FRIGIDUS ET CRASSUS nimium fuerit, humores incrassat & figit, intestina comprimit & constringit; ut si cuidam pedes frigore afficiantur, aut si quis humì dormiverit sub dio vel lapidi frigido insederit, ut pars sphincteris perflectetur alvusq; restagnet. *Avicenn. lib. 3. Fen. 16. tract. 3. cap. 6. Heurnius meth. ad prax. lib. 13.* Aerem pestilentialem induxisse passionem Colicam dicitur â *Paulo Æginetà lib. 3. de re med. c. 43.*

(II) CIBI præ reliquis fermè omnibus primas hic tenent: si sint crudi, crassi, δυσπεπτοι, stiptici, facile corruptibiles, acres & flatulenti, veluti imprimis fabæ, pisa, lentes, cepæ, fungi, siliquę, uvę, curcurbitę, melones, lacticinia &c. POTVS item: si cerevisia male cocta, crassa, feculenta ac nimis reçens. Vinum non defecatum, mustum; potus ex fructibus, pyris, pomis: : gelidus, præsertim glacie refrigeratus. Philtra, venena, medicamenta acria & venenosa, sicut videre est apud *Forest. lib. 21. de intestin. affect. Observ. 13.* Intemperantia quoq; seu ciborum nimia assumta Quantitas & ordo præposterus huc pertinet.

(III.) COM-

(III.) COMMOTIO INTEMPESTIVA, immediatè ante cibum, aut statim à cibo, concoctione primâ inchoatâ & nondum absolutâ suscepta, coctionem turbat & crudos humores generat eosq; quiescentes fundit. Contra vero Vita deses & otiosa vapores qui exercitiis per cutis spiracula debebant excuti detinet, detenti calorem nativum, excrementorum augmento suffocant, coctioni & digestioni non levem inferunt moram. (IV.) SOMNUS quoq; & VIGILIÆ si modum excesserint ad has causas referuntur. Multi etiam qui artes ad ignem exercent, ut vitrearii, ferrarii &c doloribus colicis sunt obnoxii: *Hieron. Mercurial. l. c.*

(V.) EXCRETA ET RETENTA nimia non minimum incommodi huic malo afferunt. Nimia enim inanitio spiritus dissipat, nativum balsamum consumit, & cruditatis adeò causa est. Contra Evacuationes consvetæ intermissæ calidum nativum & concoctionem turbant. ANIMI deniq; (VI) PATHEMATA frequentia, vel ad cruditatum collectioné, ut timor, tristitia, vel ad humorum aliunde transmissionem, ut ira, incandescentia, terror &c symbola sua huc conferre potis sunt.

DIFFERENTIÆ ex his facile erui possunt. & I. RATIONE GENERIS dolor colicus alius est acutus, intensus, punctorius, tensivus, vagus, fixus, alius continuus alius interpolatus, periodis recurrens, alius antiquus, alius recens, alius benignus alius malignus.

II. RATIONE SUBJECTI alius Legitimus seu Verus, alius Spurius seu Nothus; quam distinctionem adduxit *Fernel. cap. 10. lib. 6. de part. morb. & sympt. Johannes Riolanus in suo Enchiridio Anatomico lib. 1. cap. 13. & alii plurimi.* Sub Exquisito s. Legitimo illum, quem nos modo descripsimus; Sub Notho vero, qui fundamentum intra intestinum non habet, sed ab humore seroso, acerrimo, bilioso in spatia peritonæi duplicati & membranarum effuso, dolores acutissimos excitat, & quem nos à colici terminis eliminamus, volunt intellectum. Alius etiam est, in cavitate intestinorum collectâ materia, idq; vel in confinio cœci, vel versus sinistrum la-

tus,vel sub regione ventriculi. Alius oritur, materia intra tunicas intestini impacta.

III. RATIONE CAUSÆ in Humoralem & flatulentum dividitur. HUMORALIS dicitur iste, qui ab humore potissimum sive frigido, sive calido, crasso, acri, salino &c in intestino cöercito provenit. Sub quo etiam comprehenditur à plerisq; STERCORALIS à fecibus induratis, ut & qui ab alia materia corpulenta, â calculo, vermibus &c dependet. FLATULENTUS vero qui â flatibus in intestino, vel collectis vel aliunde transmissis & inibi inclusis ac exitum molientibus & ita intestinum distendentibus atq; lancinantibus excitatur; qui ut sævissimus ita frequentissimus est.

Ex differentiis etiam stipticorum SPIRITUUM vitriolatorum, acetosorum, differentiæ colicæ desumuntur. Quemadmodum differunt hi Spiritus, potestate, sapore, penetratione, mobilitate & similibus signaturis, ita colicarum symptomata differre necesse est. GRADUS autem Colicæ tum ex Spirituum potestate, tum vero ex ulteriore circulatione & exaltatione peti debent.

Causarum & differentiarum Colici affectus, consideratione facta, transitus faciendus ad ipsa signa & primo quidem DIAGNOSTICA. Videtur equidem Dolor colicus (I) RATIONE GENERIS satis manifestus & cognitu facilis, quod incipiat cū colo à sede dextri renis, sæpe ibi figatur, adscendat ad jecoris gibbum, quod sit nunc fixus nunc vagus, quod sit pungens, mordicans, terebrans & quasi perforans, præsertim in ingvine sinistro, ubi colon est angustius. Quod adsit excrementorum retentio & eorum exiccatorum vel cum flatibus permixtorum excretio.

Cum tamen plures in abdomine partes contineantur, quæ dolorem pati possunt, & cum quibus maximam habeat affinitatem, cognitu adeò facilis non est.

A Colica NOTHA ut faciamus initium, distingvitur vera, dolorum gravissimorum diuturnitate, qui in notha sine remissione eruciant & nullo remedio demulceri queunt. Quod dolores potius sublimes quam profundi, nec admittant levissimum contactum, sæpe etiam propter continuita-

tem

tem membranæ Peritonæi ad diaphragma perveniant. *Riolan. in Enchirid. Anatom. lib. 1. cap. 13.* Et cum plerumq; post febres continuas aut tertianas & sæpe quartanas causa morbifica huc excernatur, solent etiam dolores isti nonnunquam juxta typum febris præcedentis exacerbari.

In ILEO seu Chordapso cùm tenue afficiatur intestinum & dolor circa umbilicum & quidem sævior sentiatur, adsit difficilior respiratio, anhelitus fœteat, omnia sursum ferantur, ita ut non modo cibus & humores in ventriculo contenti, sed etiam stercus vomitu rejiciantur, nihilq; exire possit per partes inferiores, sive humor sive flatus, etiãsi acerrimi Clysteres injiciantur; non adeò difficulter â Colico dolore differre deprehenditur, utpote qui habet sedem in crasso intestino & post aliquot enematum injectiones aliquid deorsum truditur.

Inter DYSENTERIAM & Colicam illud solum ponitur discriminis, quod quamvis in utroq; affectu, dolor idem & in eadem parte sentiatur, tamen in hoc Excretrix propemodum aboletur, in illo vero potenter suis muniis fungitur. Ab UTERINO differt, quod dolor in ingvibus, coxis & Iliis hæreat; Colicus vero magis in superioribus partibus fiat, illum præcessere mensium suppressiones & comitantur suffocationes Hystericæ.

Ardua & multis difficultatum scopulis obvia NEPHRITICI doloris â colico distinctio; Ingenuè *Trallianus lib. 10. cap. 1.* ἐπειδὴ τὰ συμβαίνοντα πάθη τοῖς τὸ κῶλον ἀλγοῦσι καὶ τοὺς νεφροὺς, πολλὴν ἔχουσιν ὁμοιότητα, ὥστε πρὸς τὴν διάκρισιν αὐτῶν κάμνειν ἔσθ᾽ ὅτε καὶ τοὺς ἐπιστήμονας ἰατρούς. Quoniam affectus qui colo & renibus dolentibus accidunt, magnam habent similitudinem, ut nonnunquam & eruditi Medici in discernendis ipsis laborent, necessarium est de eo primùm laborare. Ipse *Galenus 2. de loc. affect. 5.* fatetur se dolorem colicum prima fronte existimasse Nephriticum. Prudentiores itaq; Medici ne unum pro altero curent, convenientium inter se affectuum differentias, quanta possunt animi contentione perquirunt.

Distingvitur â plerisq; (I.) *Doloris proprietate* : Colicus est tensivus & intensior, subitoq; invadens ; Nephriticus vero gravativus, paulatim invadens, ad finem usq; augetur; stupor fœmoris adest ê directo affecti renis. (II.) *Loco* : Colicus plures partes obambulat, modo supra renes modo infra & ad anteriora magis inclinat. Nephriticus fixus est & semper in eadem parte permanet, semper â dorso incipit, â supernis ad inferiora descendit versus pubem, secundum ductum ureterum. (III.) *Excretis* : Vomitus graviores urgêt dolente colo, cibi difficilius assumũtur, stercus aridum est & siccum instar canini, vel flatulentum & quodammodo supernatans; nulla in urinis deprehenditur mutatio. In Nephritide vero quamvis excrementa etiam sæpè retineantur, sunt tamen magis mollia & naturalia: Urinæ â principio supprimuntur, tenues, claræ, aquosæ, quandoque cruentæ ab initio apparent, in quibus dein sabulosa subsident; Vomitus sunt varii, pituitosi, biliosi & ferè post cibum solum accidunt. (IV.) *Iuvantibus* : Colicæ enim exacerbationes laxantibus & lenientibus Clysteribus magis mitigantur quam dolores nephritici, imò evenit interdum, ut frigido aliquo humore simul cum clystere ejecto, illicò quiescant, sicuti evenit *Galeno*, qui sibi imposito Oleo rutaceo paulo post vehementissimo cum dolore excrevit Pituitam â Praxagora vitream nominatam. Contra vero Nephritici parum interdum solaminis inde hauriunt. Diuretica & Lapidem minuentia juvant; in colicis nullam utilitatem afferunt.

A VENTRICULI DOLORE demum differt, quod situs ejusdem sit sublîmior, semper supra Umbilicum, non raro versus spinam ad scapulas usq; scandat, cum ad nonam vertebram ventriculus spinæ alligetur. Præterea ructibus & vomitibus levatur & per os assumtis leniatur. In colica vero vel Hypochondriaca, vel regio ventriculo hepatiq; subtensa, vel Epigastrium separatim vel omnia simul magis doleant.

II. RATIONE SUBJECTI, sciendum, si totum colon dolore detinetur, ille circa utrumq; Ileum & infra Ventriculi regi-

li regi-

li regionem prope umbilicum percipitur. Cum autem pars tantum afficitur & quidem principium, dolor Ileum dextrū occupat; si medium sinistrum; si Finem, umbilici regionem à sinistro proximam; ut ex coli intestini situ manifestum est. *Sennert. lib. 3. prax. part. 2. Sect. 2. cap. 2* Num vero per consensum afficiatur ex sequentibus â Causis sumptis signis potissimum patebit.

III. RATIONE CAUSARUM: Si â FLATU dolor fiat, dolor ventrem distendit, vagus est & instabilis, in varias ventris sedes se contorquet, sæpe obmurmurat, venter est inflatus & percussus, resonat in modū tympani, rugitus sunt frequentiores, summo tamen levamine consequente, si quando flatus undecunq; vel utcunq; eruperunt. Causæ flatuum effectrices præcessere.

Si â PITUITA præsertim vitreâ, ex habitu corporis & temperamento patientis, vitaq; anteacta cognoscitur; nauseam, vomitus, ructus ciet, stabilem & fixum alteq; excruciantem infert dolorem, neq; ructibus neq; flatibus demulcetur, alvus item graviter impeditur, excreta mucosa, levia flatibusq; plena redduntur. Originem habet â crapula & otio, aliisq; causis quæ cruditatem crassumq; humorem progignunt.

Si dolor â BILIOSIS Humoribus, cognoscitur quod sit mordicativus, fixus, quandoq; cum febri, vigiliis, ardore, siti, oris amaritudine, excrementa sunt biliosa, vomitus biliosi, æruginosi, motus convulsivi, animi deliquia: Medicamentis, & alimentis calidis malum exacerbatur, ætas & aeris constitutio correspondent. Præcessit usus dulcium sive sint saccharara sive mellita, aut acrium & aromatum. Post alvi dejectionem majoribus infestatur æger cruciatibus. *Franciscus joël. lib. 4. Pract. Sect. 7. cap. 5.*

Si autem dolor INFLAMMATORIVS & fixus cum febre continua adest, cum fecum retentione, vomitu bilioso, ciborum fastidio, urinæ retentione; si internus fervor in abdomine sentitur, Inflammationem Coli subesse existimes. Abdomen si præmitur dolor exacerbatur.

Si à VERMIBUS dolor proficiſcatur, roſio inteſtini percipitur, per intervalla magis minusq; affligit & cum excrementis vermes quandoq; exire conſpecti ſunt. Si à CALCULO, dolor erit gravativus, extenſivus & fixus, nec medicamentis præſertim diſcutientibus removebitur. Indicatur etiam ê dolore compresſivo; ſi quieſcat & per abſentiam omnium aliorum ſignorum, dicit *Mercurial. loc. cit.* quoniam ſc. nullum aliud ſignum adeſt, quod posſit oſtendere aliam cauſam. Si forte patiens à dolore liber evaſerit per calculi excretionem, & nunc ſimili dolore cruciatur, conjiciendum dolorem tunc prodire à calculo.

PROGNOSTICA. I. SALUTIS ET MORTIS quod attinet

I. RATIONE GENERIS, licet affectus hic non prorſus ſit in curabilis, non tamen eſt negligendus. Quoniam dolor omnes vires ac ſpiritus diſſolvit, disſipat & partes principes in conſenſum trahit. Salubris iſta cenſetur Colica, in qua non eſt vehemens retentio foecum, in qua dolor eſt permutabilis & remisſior, excrementa non prorſus retinentur, quæq; per clyſterem & medicinas ſibi exhibitas, per exitum ventoſitatis alleviatur. *Arnaldus Villanovanus lib.* II. *breviari. cap. 20.* Contra vero ſi vehemens, & continuus dolor, ſi nauſea vehementisſima, nec tamen quidquam vel ſupra vel infra emittitur, malum eſt: & pesſimum omnium, ſi cum his omnibus anhelitus foeteat: ſi qui dolore hoc afficiuntur, frigido ſudore frequenter corripiuntur, frequenter animo deficiunt & ſi diu durat deliquium. *Hieron. Mercurial. lib. 3. de affect. infim. ventr. cap. 16.* Peſſima etiam eſt iſta, in qua corpus ſtatim intumeſcit, teſtante *Rhaſe* de quâdam virgine, quæ, cum ſtatim venter valde intumuerat, 12 horis fuit dolore colico jugulata.

II. RATIONE SUBJECTI: Periculoſius eſt, inquit *Sennertus loc ſæpius cit.* ſi totum colon afficitur dolore, quam ſi ſaltem pars: Et minimum periculum eſt, ſi ſecundum Umbilicum coliq, finem dolor conſiſtit, quo Clyſterum vis magis pervenire poteſt; majus ſi in ejus medio & in ſiniſtro ilio;

Majus

Majus adhuc est in coli principio circa coecum, imò in coeco materia simul latratur,& ilio dextro: quoniam inde difficilior materiæ exitus patet & clysterum virtus huc ægre penetrat.

III. RATIONE CAUSÆ: Inter omnes Colicæ species, præter malignam & pestilentem, illa censetur periculosissima, quæ ex inflammatione aliove tumore coli est, quorum exempla refert *Hollerius lib.* 1. *de morb. intern. cap.* 41. *in Schol.* Calculus difficilius educitur, quam feces induratæ. Intestina si cöaluerint, malum est incurabile. Si ab intestinorum in scrotum prolapsu dolor excitatur, nisi intestina reponantur antequam inflammantur, periculosum & sæpe lethale est. Si *vero* â vacuatione critica, malum; vel â flatu, remediis facile cedit.

II. RATIONE LONGITUDINIS; quædam Colica brevi solet terminari, quædam vero, longius produci. Id quod â loci affecti & causarum ratione potissimum dependet.

III. MODUS EVENTUS diversus. Hic affectus multiplicem habet exitum. Qui ex flatu, aliquando in hydropem desinit ex sententia *Hippocratis* 4. *aphor.* 11. Ὁκόσοισι στρόφοι καὶ περὶ τ. ὀμφαλὸν πόνοι, καὶ ὀσφύος ἄλγημα μὴ λυόμενον μήτε ὑπὸ φαρμακείης, μήτ' ἄλλως εἰς ὕδρωπα ξηρὸν ἱδρύνται Quibus tormina adsunt & circa umbilicum cruciatus & lumborum dolor, qui neq; medicamento neq; per alia præsidia solvitur, in siccum hydropem firmatur. Quandoq; febris dolori colico superveniens solvit affectum, si humor peccans sit frigidus, pituitosus, crassus & flatulentus. *Hippocrat.* 40. *aphor.* 6. Permutatur sæpius in paralysin, uti observavit *Paulus Ægineta lib.* 3. *cap.* 43. & post *Æginetam* recentiorum quamplurimi. Transit & interdum in Ileum, Epilepsiam, Dysenteriam, in arthritidem, In dolorem dorsi, potissimum illa quę est à materia acri. Et quidem, qui ex colica in Epilepsiam delapsi periisse; qui vero in Paralysin plerosq; velut in judicatione, causa translatâ, sanatos fuisse, testatur *citatus Æginata.* Non-nunquam in abscessum coli intestini lethalem

thalem mutatur. Sic refert *Gvilielmus Fabricius cent. 2. Observ. 72.* fœminam quandam gravissimo dolore colico cum ventris constipatione ac vomitu correptam fuisse, indeq; febrem excitam, neglectoq; morbo, ita auctum dolorem, præcipue in sinistro latere sub costis nothis, ut per octiduum nullum somnum capessere potuerit. Ventrem fuisse tumidum instar tympani extensum & neq; flatum, neq; excrementa toto octiduo ejecisse, tandemq; ruptum esse abscessum in sinistro hypochondrio, eâ sc. coli parte, ubi est angustius, id quod Fabricius exinde cognovit, quod non parum puris per alvum excrevit & superveniente sudore frigido ac syncope ægram mortuam fuisse.

Consideratis hactenus essentia, causis differentiis, & signis rectà nunc tendimus ad CURATIONEM, cujus fundamenta egregia jecit *Galenus 12. meth. medend. cap. ult.*

Niti autem hæc debet INDICATIONIBUS, quæ ratione trium â Galeno propositorum, & â recentioribus, qui doctiores haberi volunt, confirmatorum, Indicantium, morbi causæ & virium; Curatoria, præservatoria & vitali constitui solet. Quæ conservationem indicant, sunt res secundum naturam, vires scilicet: quæ ablationem morbus & causa. Quid jam fiet de Dolore colico, qui est Symptoma? quod non indicare judicatur â *Galeno 12. meth. med. cap. 1.* Sciendum hic est omnia symptomata præbere indicationem, quia corpori intrinseca sunt; indicant etiam ablationē, quia lædunt, & quidem ablationem per propria contraria. Symptomata interdum indicationem utilem, aliquando inutilem præbent: exspectari enim potest, ut ad morbi curationem auferantur: Interdum utilem quæ peculiari indigent curatione â curatione morbi distinctâ; & talia sunt quæ urgent. *Urgent* autem quæ minantur periculum, ut si exspectatur, donec ad morbi curationem auferantur, de vita actum esset. *Urgent* etiam quæ induunt rationem causæ lædentis affectuū & vires ut limitat *Galenus 12. meth. med. cap. 1.* Inter illa â *Galeno loc. cit.* refertur etiam DOLOR; qui cum consistat in sensatione, ad quam requiritur & partis sensus & animæ adverten-

vertentia nec non molestia. Dolor colicus indicat tria: Primo proprie dicta Anodyna, jucundam sensationem quæ efficiunt, deinde temperata simulq; pinguia, quæ partem sensu privant, frigida veteribus habita, narcoticò recentiorum ex placitis, sulphure abundantia; & demum DIVERTENTIA animum ab impressionis molestæ perceptione. Præter hæc Anodyna, etiam dantur quæ causam doloris respiciunt remotam. Intemperies contrariis alteranda, Materia humoralis vel flatuosa evacuanda, discutienda.

Galeni Indicationes in doloris omnis curatione observandæ 12. *meth. med. cap.* 8. hic etiam locum habent, & vehemens in colo dolor tribus modis attentari potest: 1. Continentem causam τῆς κενώσεως τῶν λυπησάντων vacuationis eorum quæ contristant, ope exstirpando. 2. Antecedentem, si prior scopus impetrari nequit, κατ' ἐπίκρασιν, κατὰ βραχὺ humores alio corrivando minutaq; καθάρσει non absq; exactissimâ lege corrivando & evertendo. 3. Quod si non minus inde perseveret, & ægrum excruciando naturæ bona dilapidet, dolor colicus cicurandus est medicamentis stuporem inferentibus.

Primus & ultimus curandi modus magis tutus & expedite juvat, medius minus tutus, minus etiam audacter, ac nisi summa urgente necessitate adhibendus, non tamen omninò formidandus. Hoc pluribus elegantissime explicat *Galenus* 12. *meth. med. cap.* 1. Esto terminus in ægrotantibus, quem non transibit & qui ex arte generosè contra morbum pugnat, ut tuto medicetur: ei vero qui dolorem mitigat, ut vires custodiat. Ubi ultra pergitur, crudelis hominis officium facit, qui una cum morbo vitam homini quoq; aufert, qui vero cubantis deliciis subscribit, ejusq; voluptatem non sanitatem pro meta gerendorum habet, adulatoris. Talesq; excessus committi, *subjungit*, in anodynis, quæ ex papaveris succo, alterci semine vel mandragoræ radice fiunt. Nam qui ægris gratificantur, in eorum usu modum excedunt: Qui vero intempestive immodiceq; sunt animosi, dum prorsus horum usum refugiunt, doloribus ægros jugulant. Habendum

itaq; in oculis dictum sapientis, Ne quid nimis! Hucusque *Galenus*.

Usum eorundem *ναρκωτικῶν, ὅσα καὶ δι' ὀπίου καὶ ὑοσκυάμου τὴν σύνθεσιν ἔχει*, moderandum, & in calidis acribus, non vero frigidis humoribus solum convenire, *Trallianus lib. 10.* pluribus iisq; elegantissimis exponit.

Atq; hæc sunt illa doloris colici indicata, sanitatis præsidia, auxilia, quorum materiæ ex usitatis desumi possunt fontibus.

CHIRURGICO. *Venæsectioni* raro locus conceditur, si tamen adsit Plethora, si malum â bile acri, nihilq; sit quod illam prohibeat, tam ad evacuationem quam ad revulsionem commode instituitur: Imprimis vero si Coli inflammatio aut apostema, adsit jubente *Rhase*: *Si apostema fuerit vena secetur & cassia cum succo herbarum detur.* Cujus loco in seculi hujus nitore commodiora substitui possunt. Quoad LOCUM tundenda erit Vena brachii, Jecoraria: Si vero propter inflammationis magnitudinem, etiam Urinas supprimi contingat, venam & in talo & in superiore pedis parte secare non est alienum. *Forest. lib. 21. Observat. 11.* TEMPUS istud potius eligendum, cum materia adhuc in fluxu est, in principio scilicet, præmisso tamen clystere emolliente alvumq; subducente. Detrahatur sangvis repetitis vicibus, pro ratione ætatis, virium, copiæ ad ℥vj, vij, viij. *Cucurbitulæ* tam sacrificatæ quam non sacrificatæ locum habent. Illæ quidem si propter vires Venæsectio omittenda, partibus inferioribus, femoribus, cruribus: Hæ vero in colicâ ventosâ, ubi præsertim dolor non amplius â materia fovetur, dolentibus intestinis affigantur. In hac Colica passione etiam cucurbitulam magnam cum multa flamma loco laboranti appositam, effectũ incantationi similem efficere dicit *Galenus 12. meth. c. 8.*

CINGVLO ventrem arctè constringere nonnulli suadẽt, verum rationi hoc consilium haud videtur consentaneũ.

CAVTERIO quidam tam in curando quam præservando utuntur, notante *Foresto Observ. 14 in Schol. lib. 21.* Ubi tamen nos in hoc negotio ad *Gradum* tantum in Colica pituitosa, in aliis vero minus illud convenire statuentem, remittit.

tit. *Julius Cæsar Claudinus in consult. medicin. 140.* in utroq; femore, imò in abdominis mollitudine supra partem dolentem inustum, usui esse docet: nec deesse qui in loco affecto cauterium non tantum simplex sed duplicatum setaceum, excitent. Verum nisi materia vel à toto corpore vel ab aliqua ejus parte ad intestina fluente, adhibeatur, & quidem præservationis causa, parum efficiet Raro tamen vel nunquam hæc consuluntur vel admittuntur. Majores afferre fructus à nonnullis censentur LIGATVRÆ ET FRICTIONES, sicuti enim hæ materiam ad partes externas revocant, sic illæ ne à partibus hisce ad intestinum mittatur, prohibent.

PHARMACEVTICO. Ante omnia conveniunt quæ excrementa emolliunt & intestina evacuant. Vbi notandum venit istud *Galeni 6. de loc. affect. 2.* ubi de ulcere intestinorum sermonem instituens, inquit: *αἱ μὲν γὰρ ἑλκώσεις ἐν τοῖς ὑψηλοτέροις ἐντέροις, ὑπὸ τῶν καταπινομένων φαρμάκων ὠφελοῦνται, αἱ δ' ἐν τοῖς ταπεινοτέροις, ὑπὸ τῶν ἐνιεμένον ὠφελοῦνται.* Superioribus intestinis affectis ab epotis medicamentis juvantur, inferioribus, clystere potius succurrendum.

ENEMATA autem pro varietate materiæ sunt varianda. Si passio colica sit ex crassis & lentis humoribus, ex incidentibus, attenuantibus atq; detergentibus: Si ab humoribus acribus, mordacibus & biliosis primordium capiat, ex refrigerantibus & humectantibus, componantur. Si vero ex fecibus induratis, ex emollientibus & humectantibus, & si à flatu, ex flatus discutientibus parari debent. Antequam autem flatus discutientia adhibeamus, necesse est prius vias inferiores aperiri, fecesq; alvi induratas educi. Nam quamvis in Colica leviore, flatus discutientibus finem optatum, sæpe attingere liceat; tamen in Colica graviore tantum abest, ut prosint ea primo administrata, ut etiam plurimum nocere possint, cum pituitam in intestinis contentam in flatus dissolvant & hoc modo dolorem augeant. Sæpe inquit *Galenus 12. meth. med. cap. ult.* ex plebe non paucos audias, minus sibi dolere colon affirmantes, cum nec ipsis cataplasma imponitur, nec oleo perfunduntur nec per Clysterem aliquid infunditur. Et sane qui generosi animi fortesq; sunt, si me-

 diocri

diocri utuntur victu, tutius longiore in tempore percurantur, quam qui violenter calefacientibus utuntur. A nullo enim in ejusmodi succis tam est metuendum, quam à calore, qui eos liquet, atq; in flatum vertat, sed digerere non valet. Et cum de Enematum materiâ, compositione & usu pluribus egerimus in *Exercitatione nostra de Usu Clysterum saluberrimo, sub Præsidio Viri Nobiliss. Ampliss. Excellentiss. atq; Experientissimi Dn. Gothofredi Moebii, Dn. Præceptoris atq; Promotoris mei jugiter venerandi, colendi, ante duos annos habitâ*, & eadem si repeteremus actum ageremus, unum atq; alterum exempli loco tantummodo subjungemus.

Enema emolliens & dolorem leniens

in Causa frigida, crassa & pituitosa.

℞ *Rad. Malv. alth.*
Lilior. albor. ã ℥j.
Fol. Malv. alth. origan.
calaminth. rutæ
Mercurial. ã Mß.
Sem. Lini, foenugræc.
Baccar. Lauri ã ʒij.
Flor. Chamæm. melilot. ã Mß.
stæchad. p. j.
Pulp. Colocynth. in linteolo ligat. ℈j.
Concisa atq; contusa coquantur in s. q. aq. ad ʒiias.
Decoct. ℞ *℔j.*
Benedict. laxativ.
Elect. indi.
Hieræ simpl.
Mellis rosati ã ℥ß.
Ol. chamæm. rutac.
aneth. ã ℥j.
Vitell. ovor. no. ij.
Salis commun. ʒj.
M. Fiat Clyster.

in Causa calida, biliosa & tenui.

℞ *Radic. Cichor. alth. ã ℥j.*
Fol. Malv. bismalv.
Lactuc. Spinach.
Violar. ã Mij.
Sem. anisi
foeniculi ã ʒij.
Flor. papav. errat.
Nymph.
Rosar.
Chamæm. ã Mß.
Ficuum no. vj.
Fiat Decoctio in s. q. Decocti Hordei & colet.
℞ *Colatur. ℥xij.*
adde
Casiæ pro clyst. ℥j.
Ol. rosar. chamæm.
amygd. amar. ã ℥j.
Pingved. gallin. ℥ß.
Vitell. ovor. no. ij.
Salis gemmæ ʒj.
M. F.
Enema.

Hippo.

Hippocrates lib. 3. de morb. in Ilei curatione proponit usum FOLLIS fabrilis, quo in ventrem flatum immittit, ut inde ventris & intestini contractio distendatur & clysterem extracto folle injicit. *Lib. de affectionib.* autem meminit FISTVLÆ utriculi extremitati alligata ad flatum intra alvum immittendum. Loco utriculi posset sumi VESICA. Duo hæc instrumenta licet formâ diversa, tamen in operatione conveniunt. Follis tamen valentior est quam Vesica.

Trallianus lib. 10. in colico dolore meminit & τῆς χαλκευτικῆς φύσα, & τȣ̃ ἀσκȣ̃ follis fabrilis & utris, ut & clysteris, extra casum inflammationis, modumq; adplicandi tradit.

Tali folle sensum cum juvamento, non tamen affectum inde solutum testatur *Petrus Salius Diversus in commentario lib. 3. de morb. Amatus Lusitanus* in Ileo se expertum esse confirmat *centur. 1. obs. 100.* An vero tutus semper sit ejus usus, merito dubitatur.

SVPPOSITORIA quoq; hic suum conferunt fructum, ex melle & Hiera picra parata. ℞ *Mellis cocti* ℥j *Spec. Hieræ picræ* ʒj. *trachisc. alband.* ℈ij. *Salis* ℈j. Misce Fiant Suppositoria oblonga.

VOMITVS non est inutilis, imò interdum ὅεμ τος, *ut ait Trallianus*, ὠφελιμώτατ☉, διὰ ψυχρὸν χυμὸν ὀδυνωμένοις, utilissimus ob causam frigidam dolentibus, imò perquam necessarius ubi dolor accidit cum novella repletione ventriculi. Si ergò in principio vomat æger, optimum est impetum naturæ adjuvare: si non vomat, aptus tamen sit ad vomitum, is provocari potest *Aq. benedict. Rulandi, Elect. Diasar. Fernelii, Sale* ⊕I, ♂ & ♀.

PRÆPARANTIA. Si acerbatio doloris repetitis aliquoties clysteribus remiserit, humor reliquus, qui præ copia tolli non potuit, præparetur & evacuetur. Si Humores *biliosi* & acres peccaverint, concoctio & præparatio instituenda quidem non est, cum quia dolor tum sit admodum vehemens & metus ne plures ad partem affectam attrahantur, malumque ingravescat; tum quod humores isti sponte quasi sint parati

& adeo subtiles, ut statim educi queant. Si vero digestione quadã opus fuerit, exhiberi potest Sirupus de althea Fernelii, cuj9 virtus in acri & ☿ea ejusmodi materia temperanda satis insignis, una cum alia potentia, quod vias urinarias & alvi retineat apertas. *Horst. lib. 4. Observat. 10. Sirupus borraginis, buglos. nymphea, Decoct. hordei, sem. psyllii, julepus violar. rosar. oxysacch. s. & comp. &c.*

Si vero Humores *frigidi*, lenti & crassi in causâ fuerint, diligenter sunt attenuandi, incidendi, concoquendi & ad commodam vacuationem præparandi: ad quod perficiendum munus ea præcipue sunt accommodata, quæ non admodum calefaciant & tenuium sint partium; qualia *Sirup. de betonic. hyssop. capill. ♀ calaminth. acetos. simpl. rosar. soluti de absinth. Electuar. Dyacimin. diacinamom. valeriana, aristoloch.* Medicamenta ex ☿ *præparata, Spir.* ⊖ ⦶ ☿. *Balsam.* ♎. *Crato* commendat *radicem Imperatoria* in vino maceratam & per triduum ante cœnam in haustu propinatam. Utilis est *pulvis Zedoaria ã* ℈j ad ʒj ut & *aqua ejusdem* cum Veronicæ aqua destillata. *Spir. absinth. & Cardui benedict. ã ʒj.* in vitro misti & gutt. vj. viij in vehiculo convenienti exhibitæ, vel.

℞ *Cortic. citri.*
radic. galang. major. ã ʒij.
Fol. menth.
Hyssop.
Betonic. sicc. ã p. iij.
Anisi.
Foenicul. ã ʒ ij.
Flor. anth.
stæchad. ã *p. ij.*
Fiat Decoctio ad ℔ß.
In fine Decoct. adde
Vini alb. optim. ℔ß.
Sacchar. ℔j. (mom.
Clarif. & arom. cum ʒj. Cina-
F. Sirupus. Capiat æger ℥iiij. ante prandiũ & cœnam tribus horis.

℞ *Aq. Veronic.*
Scabios.
Salvia.
Hyssopi ã *℥iß.*
Spir. anisi.
foenic. ã *ʒj.*
M. Dentur Cochl. iij. singulis mane & vesperi.

℞ *Chrystall* ☿ *ʒß.*
☿ ⦶*lat.* ℈*j.*
Salis Cichor.
absinth. ã *gr. vj.*
Misc. F. Pulvis, tribus matutinis continuis in brodio vel alio liquore sumendus.

PUR-

PURGANTIA succenturiatâ opera sequuntur, pro ratione dominantium humorum concinnata & composita. Nõ vero sint validiora, ne vehementium purgantium fermentatione ad locum affectum materia morbifica commoveatur. Consultius est medicamenta exhibere, quæ humores noxios tantum educunt, nec aliunde alios ad locum adfectum debilem præcipitant. Confirmat *Galenus* 12. *Meth. med. cap.* 7. duabus historiis fortia medicamenta Colicis non esse exhibenda. *Primus* æger *quadragenarius* hiera picrâ non semel, sed iterũ ex modicis intervallis, vacuatus, prorsus sanatus est. *Alter* juvenis non rarô colico cruciatu afflictus accepto scãmoneæ succo purgatus quidem est, bene largiterq; sed nihilominus per circuitus rediit paroxysm9, debili intestino colo quasi *ῥευματικῇ διαθέσει* correpto, commotis â scammonio humoribus. *Ægineta lib.* 3. curationem colicæ accurate pertractans nullam ferè mentionem purgantium facit. *Avicenna* etiam valida purgantia per os exhibita ad intestina trahere humores judicat, & hoc unum ferè agit, ut â fortibus pharmacis deterreat.

Quæ tamen ita accipienda censemus, ut non omnis de iis abjicienda sit meditatio, siquidem sæpe accidit, ut clysteribus neq; fomentis quicquam juvantibus, materia feculenta & flatuosa, crassa frigida, imò etiam calida acris, mordax biliosa, salina in initio coli circa coecum vel valvulam hærens nullo alio remedio, quam validiori loco moveri queat. In manu quidem Medici haud est, motum alvi pro arbitratu sistere, sed satius tamen anceps quam nullum experiri remedium. *ἐς δὲ τὰ ἔσχατα νοσήματα, αἱ ἔσχαται θεραπεῖαι ἐς ἀκριβείην, κράτισται* *Hippocr.* 1. *aph.* 6. Tardus in morbis periculum minantibus Medicus esse non debet. Non semper â parvis incipiendum auxiliis. Sæpe comperendinatio nociva. Et qui valido purgante initia colicæ excipiunt, sæpe egregio suo funguntur officio.

Materiam BILIOSAM & acrem deturbent *Manna* cum ol. amygd. dulc. recenti sumta, in iis qui medicamentis assueti: Indelicatis & nauseabundis officium facere posset *Sirup.*

cichor.

cichor. cum Rhabarb. Elect. rof. Mesu. lenitiv. Pillu. aloes rosat. de Hiera f. &c. Extract. Rhabarb. Convenit etiam Essentia trochisc. albar. dal. cum vino malvatico extracta. Item Spiritus vita aureus Rulandi in iis qui amara non aversantur. Gialaptum in substantia ad ℈ß. ℈j. vel in Magisterii & resinæ formâ sumtum, sæpe visum utilem operam locare, quæcunq; tandẽ materia sit. FRIGIDAM vero seu crassam Pilal. coch. Magister. gummi de Peru, Sirup. de pomis laxativ. Diaphenic. cujus ℥ß cum ʒiij. Spec. Hieræ picræ, se una die plures colicos servasse profitetur Hercules Saxonia Prælect. practicar. part. 2. c. 30. Galenus lib. 12. meth. med. c. 7. vitiosos humores intra tunicas hærentes expugnavit medicamento, quod ex aloe componitur & Hiera Picra vocatur. Idem testatur lib. de loc. affect. cap. 4. prope finem.

In Materia biliosa.

℞ Radic. 5. aperient. ℈iiij.
Herb. Veronic.
Acetos.
Ling. Cervin.
Epithym ā p. iij.
Flor. borrag.
stæchad. Arab.
Cichor. ā p. j.
Fol. Sen: Alexand. f. ℥ß.
Rad. polypod. quern.
Myrobalā. Indor ā ℈ j.
Gialap. opt. resinos. ʒij.
Sem. anisi
foenic. ā ʒj.
Coq. in f. q. aq. fontan
Colatur. ℥iij.
adde Sirup. de pomis ℥j.
Spir. Cinamom. ʒ j.
Cryst all. ♀ ℈ß.
Spir. ⊕li ℈j.
M. Fiat Potio.

℞ Pilul. de hiera f. ʒß.
Castorei ℈j.
Sirup. de stæchad. q. f.
M. F. Pilulæ.

In Materia Pituitosa.

℞ Cremor. ♀ ℈j.
Magist. Gialap. gr. viij.
Gum. de peru. gr. ij.
Ol. Carui g. ij.
M. Fiat Pulvis.

Pilularum usus hic etiam locum habet; Trallianus meminit Catapotiorum διὰ τοῦ μολύβδου, ex Plumbo & διὰ τοῦ εὐφορβίου ex euphorbio. Practici hunc imitati utrumque genus amplectuntur, & in desperatis casibus interdum cen ad sacram anchoram confugiunt ad Pilulam ex regulo antimonii, cum

ii, cum vel sine ♂ parati. Nonnulli globulum ex ☿ *coagulato* & vegetabili curcumæ radice deaurato, cujus parandi modum in *Disputatione Excellentissimi Dn. Guerneri Rolfincii, Medici per Germaniam, Galliam, Italiam famigeratissimi, Praeceptoris atq; Promotoris mei omni pietatis cultu venerandi, prosequendi, Chimica, de metallis mollibus* videre licet, præferunt. Alii ☿ vivum *currentem* exhibent, & promptius illum obstructiones reseraturum confidunt. Nos tamen periculosæ plenum aleæ opus judicamus.

Nonnulli purgantia miscent cum opiatis, ut

℞ *Aloës opt. ℈ß. Laudan. opiat. gr. iv. Diagrid. gr. vi. M. & Formentur Pilulæ, quas capiat æger hora commodâ.*

Verum conducibilius est miscere medicamenta, quorum unum alterius operationem haud impedit.

DIAPHORETICA non sunt negligenda, cum præsertim observatum sit â *Carolo Pisone Sect. 4. de morb. infim. ventr. â colluv. seros. cap. 2.* sæpissime dolores hosce â sudoribus spontaneis maxime quiescere & averti. Et cum de ipsorum etiam materia, & usu in *Dissertatione nostra de Usu diaphoreticorum, sub Præsidio prælaudati antea Nobilissimi, Excellentissimi atque Experientissimi Dn. Guerneri Rolfincii Dn. Patroni atq; promotoris mei ætatē venerandi, colendi, non adeo pridem habitâ*, ample satis actum sit, eadem hic repetere supersedemus. In agmine illorum nobilem stationem tuetur *Aqua Zedoariæ* ex radice cum baccis sambuci parata. Dosis cochl. j vel ij sudorem potenter movet & flatus dissipat.

Præparata atq; purgatâ materia FLATUS DISCUTIENTIA, INTESTINA ROBORANTIA & ALTERANTIA haud sunt omittenda. PRIORIS GENERIS sunt *Theriaca Andromachi, mithridat. aromat. rosat. Diacymin. Vinum in quo cymin. calam. aromat. galang. anis.* &c modicum efferbuerit. *Vinum item absinthites, aqua theriacal. Spir. therebinth. Sal ⊕. Pulveres carminativi* varii ex cymino tosto & in aceto extincto, ex *semine dauci, apii, foeniculi, anisi, nigellæ, rutæ, Spec. aromat. rosat. caryophyllati, dianth. diagalang. &c Ol. destillat. Juniperi,*

 anisi,

anisi, cumini, Cinamom. citri, aurant. caryophill. chamam. carui, terebinth. Laudantur & *Spir.* ♀, ⊖, *Balsam.* 🜂, *Extracta calami aromat. galang. Zedoariæ* cum Spiritu Vini præparata. *Allii*, quod theriaca rusticorum rectè appellari potest, esu, rusticum quendam colica fuisse liberatum, narrat *Galenus* 12 *meth. med. cap. ult.*

POSTERIORIS generis sunt *Vinum. Claretum, Spir.* ⊕*li, Mistura* ⊕*lata theriacalis* ♀*rea, ex Spir.* ⊕*li* correcto, theriacali camphorato & ♀ri correcti. *Spir.* ⊖ *violatus, rosatus, Elixir* ⊕*li, Elixir. proprietatis Paracelsi* ex Aloë, croco & myrrha, quæ omnia crassos & ♀reos humores incidendo, ventriculum & intestina roborando, in intemperie, frigida & præcipuè humida conveniunt. *Tragea* QUERCETANI *stomachalis*, quam *in sua Pharmacopæa dogmatica restituta* describit, laudibus est extollenda, quæ ℞ *Rad. Aronis. prap.* ℥ ij. *radic. acor. vulg. pimpinell.* ā ʒ j. *Oculor. 69.* ℥ß. *Cinamom.* ʒ j. *Salis absinth. & Juniper.* ā ʒ j. *Sacchar. rosat. q. s.* Conficiatur Pulvis gustui gratus. Dos. Cochl. 1. mane.

In Intemperie frigida.	In Intemperie calida.
℞ *Pulv. intestin. lupin. exsicc.* ʒiij	℞ *Corall. rub. prap.* ʒ ß.
C. c. usti prap.	*Cinamom.*
Corall. rub. prap.	*rosar. rubr.* ā ℈ij.
Cinamom. ā ʒij.	*Spec. diamarg. frigid.*
Cineris hirund. ʒiij.	*Diatrion. Sandal.* ā ʒj.
Trochisc. è viperis ʒij.	*Sacchar canariens. in aq.*
Galangæ. ʒj.	*rosar. solut.* ℥vij.
Salis prunellæ medium	*F. Morsuli, quorum unus à*
pondus ad reliquor. pulv.	*cibo sumatur.*
M. & Fiat Pulv. tenuissimus.	℞ *Sirup. acetos. Citri* ℥j.
Detur ℈j. *in Vino generoso*	*Granator. acidor.* ℥ ß.
Hispanico.	*de Mentha* ℥ß.
	Aq. aurant. ℥ij.
	pro Mistura convenienti.

SPECIFICA hisce annumeranda, quæ singulari quapiam proprietate huic affectui conferre traduntur, quæ magno numero & serie ampla recenset *Galen. 9. composi. medicam. sec. loc.* 4. Inter ea autem singulari encomio extollit 10. *simpl. med. facult.*

facult. stercus lupinum experientia comprobatum, non solum intus assumtum sed & exterius appensum, quod terram non attigit, sed in spinis aut vepribus herbisve reperitur, nec non ossiculum in stercore ejusdem relictum. Intestinum lupi exsiccatum & pulverisatum magis laudat *Avicenna*, exhiberi illud solet ad ℨj. cum Vino albo. *Corium lupi* colicam mitigare dicit *Arnaldus Villanovanus in specul. introduct. medicinal. c. 18. Lorum s. cingulum ex corio cervi* sectum & cui stercus lupi, insutum, alii commendant, si ileis & ventri circumligetur. Nonnulli Cataplasma *ex stercore equino & flor. lavendul.* ā p. simul mixtis cum *Ol. rutac.* q. s. in sartagine conficiunt. *Rodericus â Fonseca tom.* I. *Consult. med. cap. 57. testiculos equorum* in vino generoso elotos, postea exsiccatos & in forma pulveris ad ʒj. cum ʒß. *Sem. anisi* in jure vel vino exhibitos pro secreto assignat. *Cinerem galeritæ avis* ad ℨj. in vino exhibitum prodesse in Colica, proponit *Galen. lib. de theriac. ad Pison. cap. 9.* Quidam etiam *Umbilicum infantis nuper nati* præcisum & gestatum colicam avertere autumant.

EXTERNA ut Sacculi, Cataplasmata, Cerata, Fomenta, Epithemata, Linimenta, & Inunctiones cum ad dolorem mitigandum, tum ad flatus discutiendos, materiam peccantem educendam & intestinum roborandum juvamenti multum adferre queunt, quorum farrago cum apud *Sennertum loc. cit.* tum apud alios invenitur.

Imprimis vero locum habent duo egregia Medicamenta â *Tralliano* singulariter commendata, Balneum & Marmora. INSESSUS ET BALNEUM ex aquis dulcibus seu ex decocto lenientium herbarum, sive ex Ol. puro ex *Pauli* sententia, sive potius ex utroq; secundum *Aëtium* parari potest; ejus vis mirifica, omnia curationis momenta supplet, certoque semper experimento probata est. Antequam autem æger in balneum descendat, clysma quoddam emolliens potest injici aut aliud laxans exhiberi. Εἰ δὲ καὶ ἡδέως ἔχοιεν, συγχωρεῖν αὐτοὺς πυρίαν ἐν τοῖς διαπύροις μαρμάροις. Si vero delectantur, permittendum est ut marmoribus ignitis foveantur, dolorem enim sedant. In usu crebro sunt *tabulæ ex la-*

pide ophite, qui Mariæbergæ effoditur & in hunc usum expolitur.

A FLATIBUS Colica si proveniat, quandoquidem ii ut plurimum ex materia cruda & pituitosa generantur, eadem ferè curatio requiritur.

Si à VERMIBUS aut CALCULIS dolor, ea quæ vermes necant, calculum frangunt & expellunt, conveniunt.

Si ex HERNIA proveniat, infuso statim Clystere ex emollientibus & discutientibus impuritates & alvi flatus subducantur, postea (si opus est) fotus pro emollitione intestini & flatuum discussione ex decocto emollientium & discutientium cum spongiis applicetur, deinde intestino manibus leniter repulso & intruso, emplastrum contra rupturam, aliaque quæ in Hernia conveniunt, peragantur.

Demum ANODYNA, NARCOTICA seu stupefacientia non omittenda, sæpissime enim illa, ordinariâ methodo neglectâ, ad dolorem leniendum in subsidium sunt vocanda. Quamvis melius fortasse fecerit & omne punctum in hisce tulerit ille, qui simul dolorem mitiget & simul ejus causam tollat. Nam qui blandientes dolori, relictâ ejus causa in leniendo duntaxat occupātur, hi reducem eundem sæpius graviorem percipiunt. Excellunt hic *Ol. amygd. dulc.* per se in cerevisia calida sumtum, vel cum Vino malvatico & sirupo papaveris exhibitum. Illa sunt *Philonium Romanum, Persicū, Trochisci diaspermaton, Requies Nicolai, Pilulæ de Cynoglossa, Pilulæ narcoticæ Plateri. Laudanum opiatum* ad gr. ij. vel iij. exhibitum, cum succis acidis aut Spiritu Vini paratum palmam reliquis facile præripit. Hæc vero aut per os sumuntur aut subduntur. Ubi notandum Clysterem ad solitam quantitatem nec adscendere nec stimulo valentiori pollere debere.

℞ *Philon. Roman.* ʒj.
Mellis q. s.
F. Suppositorium quod filo alligetur, ut cessante dolore iterum extrahi queat.

℞ *Decoct. Chamæm.* ℥viij.
Ol. amygd. dulc. ℥ij.
Philon. Roman. ʒij.
M. Fiat Enema

PARA-

PARACELSUS magnum ſcientiæ medicæ theſaurum vocans, Morbum in loco ſeu centro ſuo, retinere, digerere, maturare, educere; jubet colicam materiam in ſuo centro retinere, digerere, evacuare, ne extravagata contracturas & paralyſes excitet. *tract. de magnete tom.* 1. *p.* 1020.

PRÆSERVATIONIS cauſa in conſilio anticolico *tom.* 1. *p.* 690. tria commendat, PILULAS ex *gum. ſerapino.* ✠. *ſolut. colat. & inſpiſſato* ℥ß. *trochiſ. albandal.* ʒiß. *Sp. Hier. picræ* ʒj. *lithontript.* ℈j. *Diagryd.* ℈j. *Salis gem. gr.* vj. M. F. Maſſa pilularum. Ex ʒj. form. xj. deaurentur, ſumantur tres ante ingreſſum lecti.

Deinde commendat LAXATIVUM aliud ex *benedict. laxativ.* ℥ß. Poſt VINUM Eſſentiale Colicæ: ℞ *Rhabarb.* ʒiij. *trochiſc. alband.* ʒj. *diagridii* ℈j. *euphorb.* ℈j. *benedict. laxativ.* ℥ß *Vini ardentis* ℥vij. ſtent in digeſtione. Doſ. ʒj. in ſero caprino calefacto ſumatur bis in anno.

Clyſterem etiam ſi quid reliquiarum relictum fuerit his aſſumtis medicamentis, commendat. ℞ *juris galli menſur.* j. *benedict. laxat.* ℥iij. *Sp. Hier. pier.* ʒj. *Ol. coct. cum baccis Iuniperi* ℔ß.

CURATIONEM, incipiente vel invaleſcente dolore colico, ita inſtituit. ℞ *Ol. comm. recent.* ℔j. *granor. Iuniper. cõtuſ. Mẽſur. part. quart. Cymini Romani* ℥ß. *oſtruſii* ʒij. *Euphorb.* ʒij. Coq. in aqua bulliente per duas horas, miſceantur cum vino malvatico.

Reſidentiam impone umbilico cum Ol. anethino.

Si vero nec his, neq; potioni, neq; inunctioni dolor cedat, INUNGANTUR loca doloris crebro, circa umbilicum præſertim Balſamo ℞ *galban.* ʒ *deſtill. Menſur. part. quart. Ol. laurin. deſtill. menſur. part. octav. terebinth.* ʒ. *deſtill. part. quart. Caſtorei* ℥ß. *euphorb.* ʒiij. *gum. hederæ* ℥j. *Deſtill. in Balneum.*

CLYSTERIUM his conjungatur ex *Ol. Iuniper. pingved. gallin. ol. anethi. laurino ſt. chamameli.* Coque clauſo canthаro per horam. adde ſalis communis & cum jure galli vel vino Reinfalio injice.

Proponit poſt aliud EXPERIMENTUM in Principio colicæ, PAROXYSMO præſẽte ex *Euphorbio* in ovo ſorbili vel

in

in haustu vini, in PRÆSERVATIONE, cujus descriptionem tradit.

In PRÆSERVATIONE commendat rotulas diacymini.

Curatur, ait, *Scholiis in libros de* ♀. *tom. 1. p.* 171. per arcana rerum pingvium, non herbis, coticibus, etsi hæ nonnihil doloris auferant. Pingvedo enim acetosam vim coërcet, quemadmodum & venena coërcet & dolores mitigat. ℞. *Pingved. taxi Vulpis* ā ℔ß. *Ol. masticin.* ℥iiij. *de Spica* ℥j. ✠ *parum.* F. Ungventum cum dissolutione, Acetum ad membra ducit, quia penetrat ad ligamenta.

CROLLIUS commendat *Spiritum* ☽ qui si cum Spir. Vini misceatur & digestionis gradibus debito modo circuletur, egregius inde fit Spiritus Anti colicus, magnarum virium. Dos. ℥ß. ʒj. in Vino malvatico in causa frigida sumendus.

DIÆTETICO. Diæta causæ contrarietur. AER in *Colica frigida* ad calidum & siccum vergat. In *calida* ad frigiditatem declinet. Si non natura est talis, arte paretur.

A CIBO in principio Colicæ *frigidæ* abstinendum, in progressu vero concoctu faciles exhibendus. Vitandi crudi, multi, crassi, viscidi, δύσπεπτοι καὶ κακόχυμοι. Cerevisia sit probe cocta & defecata, vinum album & tenue. Potest potus parari ex absinthio, menth. anis. galang. baccis lauri &c. In Colica â *Flatu* flatus dissipantium alimentorum quantitas augeatur. In *calida* colica ex succis biliosis, tenuis victus obest, sit humidior & frigidior ac boni succi. Loco potus convenit serũ lactis, Decoctum hordei cum succo granator. Cerevisia sit tenuis. â Vino abstinendum.

EXERCITATIO sit moderata, ante cibum prodest, â cibo nocet. SOMNUS & VIGILIÆ modum non excedant. ALVUS quotidie respondeat, imprimis â somno, & si adstricta solvatur. ANIMI PERTURBATIO vitanda omnis, præsertim mæstitia & ci[illegible]; contra fruatur jucunda animi voluptate.

Atque hæc brevi admodum & levi Minerva dixisse sufficiat. Faxit TRINUNUS, ut iis tam in actu curationis, quam præservationis fœliciter uti sciamus. Sint χεῖρες θεῶν, & in multorum ægrotorum salutem vergant.

Θεῷ δόξα.